



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Expositio Cavsarvm Quibus S. R. M. Sveciae bellum à
Rege Regnoque Daniae sibi illatum, etiam post Pacem
Roschildiae initam, continuare coacta fuit**

Coyet, Peter Julius

[S.l.], 1658

Lit. S. Tenor Procuratorii Legatis Suedicis ad Recessum Additivum
conficiendum dati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10534

ac si à Nobis ipsis factum conclusumque fuerit. In quorum fidem majorem ac certitudinem præsentem manu Nostra subscriptas Sigillo Nostro &c. Dabatur in Urbe Nostra Landscronæ, die 9. Martii Anno 1658.

Carolus Gustavus.

L. S.

Lit. S.

Tenor Procuratorii Legatis Suedicis ad Recessum Additivum conficiendum dati.

Nos Carolus Gustavus, DEI Gratia, Suecorum, Gothorum, Wandalarumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ &c. Notum testatumque facimus: Quemadmodum circa Pacis Daniæ Executionem ab una vel altera parte quidpiam accidere ac exponi potest, quod futuris temporibus in alium sensum torqueri, Pactorumque Roschildensium certitudinem ac securitatem turbare & intervertere valeat: Ita quò omnibus in posterum erroribus ac dissensionibus præveniatur, omneque illud quod diversam istorum Pactorum explicationem & sequiorem sensum generare potest, componatur, bona & sincera amicitia conservetur, omnesque Præensiones ac mutua incusationes vigore Amnestiæ Generalis omnino tollantur, & perpetua oblivione sepeliantur, in mandatis dedimus ac commisimus Nostri jam ante ad Fœderis Daniæ Tractatus constitutis Commissariis Plenipotentariis, sincere ac fideliter dilectis, Illustri, Magnificis ac Generosis, Nostro Regniq; Nostri Senatori, Admiratio ac Admiralitatis Consiliario, Domino Stenoni Bielke, Libero Baroni in Korpo, Domino in Gæddeholm, Grafsoen & Tanga, ut & Consiliario Nostro Aulico, Secretario Status & Assessori in Generali Nostro Commerciorum Collegio, Petro Julio Covet, Hæreditario in Bengtsboda &c. Equiti Aurato; sicut etiam vigore harum in mandatis damus, committimus, plenamque ac huic rei sufficientem potestatem tribuimus, ut cum Commissariis Danicis super isthac materie congregiantur, & in Recessu aliquo peculiari seu additivo comprehendant, tractent ac concludant hoc & omne præterea aliud, quod ad supradictæ Pacificationis Roschildensis inviolabilem conservationem, & ad omnes occasiones diversarum explicationum ac dissensionum ab una vel altera parte nunc & in posterum oriturarum præripiendas, facere posse videbitur. Quicquid igitur in hunc finem tractaverint, egerint, ac statuerint, Id Nos omni meliori modo ratum gratumque habebimus, firmiterque ac inviolabiliter perpetuo servabimus, non secus ac si à Nobis ipsis factum conclusumque fuisset. In quorum fidem majorem ac certitudinem præsentem literas manu Nostra subscriptas sigillo Nostro Regio muniri iussimus. Dabatur in Urbe Nostra Gothenburg, die 24. April. Anno 1658.

Carolus Gustavus.

L. S.

Lit. T.